

# RICHARDI

CANONICI ET PRIORIS S. VICTORIS PARISIENSIS

## VITA

Ex libro V. Antiquitatum ejusdem Ecclesiæ cap. 55

(Edit. Opp. anni 1650, Rothomagi, in-fol.)

Richardus natione Scotus, abbatie Sancti Victoris Parisiensis canonicus, a Gilduino primo abbate receptus, et sub eo professus, magistri Hugonis de Sancto Victore dicti discipulus sub ejus magisterio studiis incubuit, et profecit adeo, ut successu temporis evaserit vir scientiis philosophicis et theologis instructissimus. Qui proventus ætate et sapientia ad officium subprioris ascitus fuit anno circiter 1159, in ea siquidem dignitate subscriptum reperio cum Achardo abbate et Nantero priore in conventionem facta inter canonicos Sancti Victoris et Fredericum Paridem dominum de Palatiolo in agro Parisiensi ratione decimarum quæ ecclesiæ nostræ competunt in ipso dominio. Ad eum etiam subpriorem exstant litteræ manuscriptæ Laurentii cujusdam qui se totum commiserat ejus directioni, quibus rogat Richardum nostrum subpriorem ut eum vindicet a cavillationibus religiosi alterius quia promissis sibi coram ipso resilliebat. Anno 1162, mortuo Nantero priore Viro sanctissimo pridie Idus Junii, successor ei status est virtutibus æqualis, sed scientia prævalens Richardus noster, qui per undecim ferme annos officio prioris digne perfectus est in prosperis et arduis ecclesiæ nostræ negotiis; prosperis, inquam, quando summum pontificem Alexandrum hujus nominis tertium Lutetiæ Parisiorum mensibus Martio et Aprili degentem, anno 1164, in domum nostram et in capitulum cum Ervisio abbate et toto conventu suscepit, et quæ tunc ad domus Victorinæ splendorem desideranda videbantur, ex ipso summi pontificis ore proferri satagit ut ex ipsius summi pontificis Epistola manuscripta ad Guillelmum Senonensem archiepiscopum postea scripta habeo in hæc verba: *Quapropter, inquit summus pontifex, cum sæpe litteris, et cum Parisiis essemus viva voce, sed et in capitulo ejusdem domus Sancti Victoris abbatem Gruisium monuerimus ut ad ordinis observantiam intenderet, sed postquam a partibus istis recessimus, non solum se correxit, sed velut alter Cæsar contra statuta ordinis omnia suo nutu ordinat et disponit, hæc ex pluribus summus pontifex.* Ex quibus colligo indefessam Richardi prioris vigilantiam in obeundo munere et in servanda ordinis disciplina adversus nutantem abbatem, nec propterea quidquam de studiis aut scribendi assiduitate remittebat. Quæ cum exteris etiam religiosis nota essent, nonnulli ad eum scribebant rogantes ut directionis spiritalis, vel tractatum suorum eis copiam faceret. In manuscriptis Bibliothecæ nostræ leguntur epistolæ duæ quarum prima est Guillelmi prioris Ursicampi ordinis Cisterciensis ad nostrum Richardum in hæc verba:

*Dilecto suo domino RICHARDO, priori de Sancto Victore F. GUILLELMUS, dictus prior Ursicampi, salutem in Domino.*

*Libellum vestrum quem remitti vobis nobis mandastis, ego ipse reportavi in Quadragesima; sed quoniam tunc non eratis apud Sanctum Victorem, fratri Hugoni hospitali vestro commendavi insinuans ut et vobis eum redderet. Rogamus autem ut aliquod opusculum vestrum nobis mittatis quod necdum habuimus, scilicet de somnio Nabuchodonosor, vel illumina faciem tuam super servum tuum. Nam et hoc scribere incæperamus, sed in exemplari vestro imperfectum reperimus. Vale.*

Altera est Joannis, subprioris Clarævallis, ad nostrum Richardum, ut sequitur:

*Domino et Patri suo RICHARDO priori de Sancto Victore JOANNES, dictus subprior Clarævallis, modicum id quod est.*

*Rogo vos, domine mi, in Spiritu sancto, pro Spiritu sancto scribere mihi orationem devotam de Spiritu sancto, scribite, domine mi, juxta sensum et scientiam quam administravit vobis Spiritus sanctus, scribite, Pater mi, et mittite mihi, nolite super hoc contradicere mihi; scribite, domine mi, non sub nimia brevitate, nec sub nimia prolixitate, sed sic ut eam memoriter valeam retinere, et Spiritui sancto, sive in die, sive in nocte saltem semel offerre, charissime Pater, ut nos saltem exaudiat. Vale.*

Anno 1170 in charta venditionis nemorum et terrarum ad opus Ecclesiæ Victorinæ apud Bellum robur, Beausrose, in Brige seu Bria sub sigillo Mauriti Parisiensis episcopi testes subscripti leguntur e nostris Eversius abbas et Richardus prior Sancti Victoris; quos et simul subscriptos lego eodem anno in alia charta ejusdem episcopi super venditione decimæ de Barra prope Caprosiam. In tertia autem charta ejusdem episcopi pro emptione Alneti juxta pratium Sancti Pauli obedientiæ domus Sancti Victoris eodem anno facta subscriptus legitur Richardus prior Sancti Victoris cum fratribus Hugone de Sercella, Roberto priore Sancti Pauli et Theobaldo de Taverni canonicis Sancti Victoris.

Anno 1171, mense Augusto, cum sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus Lutetiam Parisiorum advenisset, ut grates qua posset ratione Ludovico septimo Francorum regi referret, pro humanissimo sibi in terris suis exhibito hospitio; circa initium Septembris in domum nostram Sancti Victoris venit, et in ea honorifice et humaniter susceptus fuit, et in Octava Sancti Patris nostri Augustini quæ erat ipso anno feria sexta, die quarta Septembris in capitulum nostrum admissus, sermonem habuit, sumpto themate ex versiculo Psal. LXXV: *In pace factus est locus ejus*, ut habetur in manuscript. bibliothecæ nostræ, sed utinam integer ille sermo descriptus fuisset, et colloquia illa sancta tanti præsulis cum Richardo priore nostro scriptis consignata fuissent. Ex iis enim plura edisceremus quæ ad pacem internam et externam cum Deo et hominibus et nobis ipsis necessaria sunt, unde ex minori Benjamin ad majorem mentis excessum transferri valeremus, prout reliquæ nobis suppetant ex Richardi nostri Benjamin majori et minori.

Jam vero constantem ejus animum in arduis competit exhibere, nec enim sine angustia cordis et intimo

512

animi dolore vixit prior Richardus, cum abbas Sancti Victoris Ervisius cuncta pro suo nutu moderaretur, et priscam regularis observantiæ disciplinam relaxaret prætextans suorum inobedientiam aut seniorum assistentium remissius consilium; unde summus pontifex rescripsit Richardo priori et toto cœtu Victorinorum hortatoriam epistolam, datam Verulis III. Id. (12) Maii, anno Domini 1170, quam vide inter epistolas Alexandri III (1).

Non destitit prior Richardus Ervisium hortari et juvare in moderanda familia Victorina, tum in spiritualibus, tum in temporalibus; sed neglexit abbas tanti prioris monitis adhærere, unde post biennium tantus in eum perstrepuerit rumor apud ipsum summum pontificem ut iudices hac in parte delegarit archiepiscopos Senoensem Guillelmum, et Stephanum Bituricensem. Quod cum Mauritio Parisiensi episcopo innotuisset, ipsum Guillelmum Senonum archipræsulem de statu Victorinæ domus sic instruxit: *In quantam et quam perniciosam frater Ervisius abbas Sancti Victoris ex inordinatis actibus suis Ecclesiam, et fratres universos qui tam religione quam litteratura præ cæteris præemnuere dignoscuntur adduxerit confusionem, vestra plenius noverit circumscriptio, qui cum sanctos qui secum erant pro viribus expugnaverit, et sanctitatem persecutus fuerit, nec tamen internam aut externam potuerit subvertere disciplinam, variis et innumeris exteriorum tentationum generibus eorum nititur perturbare quietem, etc.* Concludens ut ab eis ab officio absolveretur.

Cum autem præfati antistites juxta commissam sibi facultatem domum Victorinam visitarent, Ervisius abbas coram eis sponte officio cessit circa festum Paschæ 1172. In cujus locum e nostris et a nostris suffectus est, Richardo priore præsidente, Guarinus vir provecetæ ætatis ac morum gravitate et scientia clarus, cujus quidem inaugurationis anno primo, Christi prænotato 1172, convenere canonici Sancti Victoris cum canonicis Sancti Cosmæ de Luzarchiis pro decimis Laciaci plessiaci et Campiplatrosi illis derelictis pro quatuor modis duobus frumenti, et duobus avenæ singulis annis in festo S. Rhemigii nobis persolvendis, subscribentibus Guarino abbate, Richardo priore Sancti Victoris, Odone quondam abbate Sanctæ Genovefæ, et Galtero subpriore Sancti Victoris. Quem cum post biennium ad officium prioris assumptum lego, inde veraciter elicio Richardum nostrum supremo fato functum sexto Idus Martii anno Christi 1173, qua die recensetur in funebri nostro diario in hæc verba: *Eodem die anniversarium Richardi hujus Ecclesiæ prioris qui exemplo sanctæ conversationis et scriptorum elegantia dignam sui nominis memoriam nobis moriens reliquit.* Quintus exstitit Ecclesiæ nostræ Victorinæ prior, primus siquidem nominatur Gilduinus prior in Bullis Paschalis pp. II de anno 1114, postea primus abbas. Secundus venerabilis Thomas pro justitia trucidatus XII Kal. Septemb. 1130. Tertius R. P. Odo assumptus primus abbas Sanctæ Genovefæ Paris. 24 Augusti 1148. Quartus V. Nanterus e vivis sublatus pridie Id. Junii 1162, de quo se quens legitur distichon:

*Nanterusque prior vir dignus glorificari,  
A claustris meruit in cælum virgo levari.*

Huic quintus successor datus est Richardus noster usque in diem 10 Martii 1173. Proinde quæ de ejus vitæ aut regiminis tempore ab aliis viris eruditis quibuscunque aliter scripta leguntur, rectius ac verius a nobis observata signentur. Corpus ejus in claustris juxta ostium elemosynæ humiliter est sepultum, sed post duo ferme sæcula Guillelmus de Sancto Lando doctor theologus, et abbas noster vicesimus secundus, in ejus laudem carmen rudiori stylo sic edidit anno 1348.

*Roridus eloquiis prior hoc tumulo tumulatur,  
Insultans vitiis, justus justis sociatur,  
Canonicus Victoris Sancti, dæmone victo  
Auxit spem veniæ per dogmata theologiæ,  
Regis cælestis imitator religione,  
Doctrina, gestis florens fuit et ratione.  
Victorem morum celebri gravitate secutus,  
Sanctum sanctorum fil regis in agmine tutus.  
Scotus erat, devotus, magno temporis ævo  
Vixit canonicus, vir religionis amicus,  
Dulcis doctrinæ doctor fuit, et manifeste  
Rorifluo trinæ Monadis tibi Codice teste  
Augustino se conformans dogmate, vita  
Corde tui merita Victor coluit studiose,  
Insignis titulo, doctrina, moribus, iste  
Reddidit huic tumulo corpus, flamen tibi, Christe.*

Anno Christi 1531, Joanne Bordier 34 abbate Victorino cum claustrum præcipuum domus nostræ renovaretur et elevaretur, Richardi nostri memoria sequenti carmine in lamina ænea insculpto posterorum notitiæ commendata est.

*Moribus, ingenio, doctrina clarus et arte,  
Pulvereo hic tegeris, docte Richarde, situ.  
Quem tellus genuit felici Scotica partu,  
Te fovet in gremio Gallica terra suo.  
Nil tibi Parca ferox nocuit, quæ stamina parvo  
Tempore tracta, gravi rupit acerba manu.  
Plurima namque tui superant monumenta laboris  
Quæ tibi perpetuum sint paritura decus.  
Segnior ut lento sceleratas mors petit ædes,  
Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.*

Meminere Richardi de Sancto Victore Robertus Montensis in Appendice ad Sigebertum; Vincentius Bellovacensis, lib. xxviii *Speculi historialis*, cap. 58; D. Antoninus in III volumine partis historialis, tit. 18 cap. 3; Guillelmus de Sancto Lando abbas noster vicesimus secundus in Elogiis quatuor Patrum Victo-

(1) *Patrologie* tom. CC.

rinorum, scilicet Thomæ prioris, Hugonis et Adami ac nostri Richardi ; Benevenustus Imolensis in Chronico sex ætatum mundi, ætate sexta ; Platina in Vitis Pontificum ; Trithemius *De scriptoribus ecclesiasticis* ; Joannes Pithæus, Anglus, libro *De illustribus Angliæ scriptoribus* ; Gilbertus Genebrardus, et Jacobus Galterus Societatis Jesu in Chronologiis, et alii innumeri passim, ut non omittam eminentiss. S. R. E. cardinales Baronium in Annalibus, et Bellarminum lib. *De scriptoribus ecclesiasticis*, in quo revocat in dubium utrum quatuor libri Exceptionum sint Richardi nostri, eo quod lib. primo, cap. quarto, inter inventores theologiæ scribat e nostris temporibus Joannem Scotum qui centum et amplius annis Richardo nostro supervixit. Sed cum Vincentius Bellovacensis loco supra citato Exceptionum libros inter Richardi nostri opera recenseat, et ipse Vincentius præcesserit ætate Joannem Scotum annis circiter sexaginta, non video quomodo Richardus noster inter inventores theologiæ referat suo tempore Joannem Scotum, nisi sit alius a Joanne Duns Franciscano, natione Scoto, toto orbe celebri, circa annum 1308. Proinde non sine indicio mihi persuadeo in illo quarto capite libri primi Exceptionum errorem irrepsisse aut amanuensium defectu, aut typographorum incuria, aut mutatione nominis unius pro alio, verbi gratia, Petro Lombardo pro Joanne Scoto ; aut certe dicendum ætate Richardi nostri floruisse in Scotia Joannem quemdam in theologia instructissimum qui methodo quadam ibi theologiam docuerit, licet non supersint scripta, et sic memoria illius sub nomine Joannis Duns Franciscani perierit. Alioquin non video quomodo Vincentius Bellovacensis libros Exceptionum Richardo nostro potuerit ascribere, præsertim cum ab ejus stylo non recedant. Inter opera Richardi nostri pridem manuscripta in bibliotheca nostra asservabantur Exceptionum libri quatuor, quos nebulonis rapax manus dudum subripuit ; proinde nobis non licuit dignoscere utrum Joannes Scotus vel alius in ipso cap. 4 lib. 1 reponeretur, aut ex antiquitate codicis alius esset a Joanne Deus Scoto ordinis Sancti Francisci, nam de Joanne Erigena prævalet eminentiss. cardinalis Bellarmini sententia. Richardi de Sancto Victore opera omnia primo typis prodire Lutetiæ Parisiorum studio canonicorum Sancti Victoris, anno 1528, deinde Lugduni anno 1534, ac tertio, nostra ætate, Colonia Agrippinæ in Germania anno 1621. Et omnia genuina ipsius esse nullus dubitavit usque ad castigationem eminentiss. cardinalis Bellarmini super quatuor libris Exceptionum, quæ præcedenti nostra observatione mitigari potest et revinci, cum libri illi, eo teste, a stylo Richardi nostri non recedant.

(Hæc ex scriniis chartarum et manuscriptis codicibus depromebat F. Joannes a Tolosa, canonicus Sancti Victoris Paris.)

## NOTICE SUR RICHARD DE SAINT-VICTOR

PAR M<sup>gr</sup> HUGONIN

ÉVÊQUE DE BAYEUX

Licencié ès-lettres de la Faculté de Paris, ancien élève de l'école ecclésiastique des Carmes.

Richard naquit en Ecosse. Les biographes ne disent pas en quelle année, ni de quels parents, ni quelle fut sa première éducation. Comme Hugues, son maître, il quitta de bonne heure sa patrie. Il vint à Paris, attiré peut-être par la réputation des professeurs qui enseignaient dans cette capitale ; peut-être conduit par le seul désir de se consacrer à Dieu dans une communauté aussi célèbre par sa science et par sa piété, que celle des chanoines de Saint-Victor. Il prit dans cette maison l'habit de chanoine et fit profession entre les mains de Gilduin. Il n'était pas rare de voir, à cette époque, des jeunes gens d'outre-mer, chercher en France, on la science dans ses écoles publiques, ou un asile paisible dans les nombreux monastères qui florissaient de toutes parts. Nous y rencontrons presque en même temps, Achard, philosophe distingué et profond théologien, qui fut abbé de Saint-Victor, et plus tard évêque d'Avranches ; Adam du Petit-Pont, disciple d'Abeilard, qui enseigna lui-même avec éclat la grammaire, la rhétorique et la philosophie ; Jean de Salisbury, Robert de Melun, et tant d'autres qu'il est inutile de mentionner ici.

Nous connaissons peu de détails sur la vie de

Richard à Saint-Victor. Les annales de cette abbaye, écrites par Simon Gourdan, vantent sa piété et son zèle pour le maintien de la discipline. Il fut d'abord sous-prieur ; c'est en cette qualité qu'il souscrivit, en 1157, une convention entre l'abbaye de Saint-Victor et Frédéric, seigneur de Palaiseau. Il devint ensuite prieur, et il se conduisit avec une rare prudence dans les circonstances les plus délicates.

L'abbé Ervise, anglais de naissance, n'était ni un moine édifiant ni un administrateur habile. La communauté de Saint-Victor avait fleuri jusqu'à lui sous la sage direction de Gilduin, d'Achard et de Gautier. Ervise dissipa ses biens et faillit ruiner sa discipline. Alexandre III fut témoin de ses désordres, et il l'en reprit vivement dans le voyage qu'il fit à Paris. Ervise s'inquiéta peu de ces avertissements et continua ses scandales ; c'est ce que nous apprenons d'une lettre du même pontife, où il appelle l'abbé de Saint-Victor un autre César, qui disposait de tout selon ses caprices, qui méprisait les statuts de son ordre, et qui, loin de profiter des remontrances pontificales que lui avait attirées sa négligence, se montrait de plus en plus incorrigible. Les choses en vinrent à ce point, que le souverain